

tantur. Id quod etiam *Sole occidente* contingit, cum, radiis Solis recedentibus, aër vaporibus, licet non adeò crassus, iterum intumescit. *Rarò autem imò rarissimè circa tempus meridianum*, quò Sol radiis suis vapores dissipat potius, non autem facillè nubes colligi permittit. *Conspectos tamen aliquando sub meridiem Parelíos fuisse, qui à matutino scilicet tempore ad occasum usq; durarint, Plinius refert, H. N. L. 2. c. 31.* Verùm hoc rarò, uti jam dictum, evenit; perinde ut etiam *nocte*, ubi Sol planè Horizontem nostrum reliquit. Et quanquam hòc etiam tempore Parelíum apparuisse, quidam meminerint, ejus tamen rei causa fuit, quòd radii Solis, qui infra Horizontem delitesceret, ad nubem aliquam exantem supra Horizontem pervenire, imaginemq; imprimere potuerint.

§. 16. *Locum Parelíorum mediam ut plurimùm aëris regionem credimus, quamvis nec infimam eundem denegeamus.* Fundata hac assertio est in ipsa nubium à terra distantia, quàm modò propius, modò remotius à terra nubes constant: indeq; cum in propiori, in infima, cum in remotiori, in media aëris regione Parelíum existere dicimus. Quoniam verò magis in aëre medio, propter maximum, quod continet frigus, nubes consistunt, quàm in infimam partem, quæ ob radios Solis refractos calidior est, adeoque, nec facillè in ea ingravescere nubes possunt; crebriora ea etiam Solis phænomena in medio, quàm in infimo aëre videntur. Et maximè quidem in iis terrarum locis, quæ sub Zonis frigidis sunt, quia hic Sol non altè ascendit, sed perpetuò ferè Horizontem circumcurrit: Unde densissimæ nubes facillè congregari, congregataeque ad Parelíum sistendum à Sole adhiberi possunt.

§. 17. Denique *Numerum Parelíorum quod attinet, non plures simul quàm tres suò tempore visos fuisse, Plinius testatur: sequentia tamen tempora plures ostenderunt. Quatuor enim*

enim